



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Homo Christianus In Sua Lege Institutus. Sive Discursus Morales

Qvibus Totvm Hominis Christiani Officivm Explicatvr; Quídque is fugere,
quid agere debeat, quàm exactiſimè traditur

Segneri, Paolo

Augustæ Vindellicorum ; Dilingæ, 1695

Discursus V. De numero Electorum & Reproborum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45964](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45964)

fore parte anni, praefertur alteri. Metuo, ne, si Demon undecim anni mensibus vobis imperat, Deus autem non nisi unico, Demon tandem lucretur causam, & vestrae illi animae latae sententiae adjudicentur.

XXV. *Inhabita terram, & pasceris in divitiis ejus.* Discite aliquantum fidem servare Deo, & tum non ambigite, quin vestrae sint omnes caelestis hereditatis opes atque divitiae. Si ipsi placuerit, vos hic inter mortales

luctari cum rerum inopia, non est quod lugeatis: erit tempus, cum fruemini omnibus, quae ejus sunt, & ille, tanquam filius morigeris, olim dicet: *Omnia mea tua sunt.* Omnes mei thesauri, omnes opes tuae sunt, & tuae erunt per omne deinceps aevum, sine ullo illis excidendi metu. O quae tantaque est felicitas, res tantas sperare! *Spera in Domino, & fac bonitatem, & inhabita Terram, & pasceris in divitiis ejus.*



DISCURSUS V.

De numero Electorum & Reproborum.

1. **S**omniant nonnunquam aegri, mel sibi in lingua haerere, & hoc non infelix omen existimant; sed aliter peritiores Medici pronuntiant, qui cum non ignorent, gustatam illam in somno dulcedinem inde nasci, quod corpus phlegmate redundans illud à stomacho & ventre ad palatum usque diffundat, timent, ne naturalis calor frigidi illius humoris abundantiam penitus tandem suffocetur & extinguatur. Non dispari ratione Peccatores profundissimo suo lethargo sopiti mel semper dulcissimum somniant, sic ut eorum lingua nihil celebret & extollat frequentius, quam Dei Miserationes, Spem facilem, salutis negotium in tuto; nec malum id omnis esse existimant. At rerum & status animae magis gnari, cum non neciant praesidentiam ejusmodi, ti-

moris omnis experrem nasci in agris istis ex animo sceleribus ad labia usque, ut sic dicam, pleno, male sic somniantibus metuunt, & lethargum quibus possunt artibus excutere laborant, excitando maxime timorem salutarem, qui ipsas adeo ossium medullas penetret: *Sunt impii, qui ita securi sunt, quasi Justorum facta habeant; sed hoc vanissimum iudicio.* Amplector & ego hunc Medicorum Sacrorum sententiam, & curandi methodum: eaque causam conabor, quoad potero, tam suaviter dormientes ad sanitatem reducere. Proponam quaestionem momenti tam gravis, ut nulla unquam momenti maioris in ullius Reipublicae senatu intimo fuerit ventilata, ad lumen Authoritatis & Rationis discutiendo: Maior ne sit eorum Christianorum numerus, qui salutem consequuntur, an qui ea exci-

Math.
20.16.
22.14.

vident? Nec dubito, quin si auribus animisque praesentes fueritis, posituri sitis illam praesidentiam, quâ tam multi hodie, minimè utique cauti, laborant; & concepturi sanctum illum Dei Timorem, quem in tam paucis est invenire.

II. Ut gravissima hac in quaestione clarè progrediamur, progrediendum est ordine. Statuendæ igitur initio assertiones dux, quæ extra controversiam sunt. Prima est, si generatim loquamur, plures omnino è Mortalium numero Reprobos fore, quàm Electos, juxta illud apertissimum Christi

Matth. 20. 16. & electi. Cum enim ad salutem necessaria sit vera Fides, consequens omnino est, maiorem mortalium numerum

perire, ut qui veram Fidem vel non cognoscat, vel cognitam non amplectatur. Altera assertio est, quòd numerum incendo omnium qui ad veram Ecclesiam pertinent, tam eorum qui antè, quàm qui post Rationis usum moriuntur, plures citra controversiam sint, qui beatitate aeterna potiantur, quàm qui ab eâ excludantur. Sapius enim observatum est, totidem ferè mori sacro fonte ablutos ante dissectionis annos, quot maiorem ad aetatem supervivunt: unde si illis addantur reliqui omnes Catholici, qui adulti salutem consequuntur, obscurum non est, maiorem horum, quàm reliquorum numerum esse: plures proinde necesse est esse Catholicos salvos, quàm damnatos: maximè cum ad felicem hanc turbam pertineant omnes Hæreticorum licet Parentum

R. P. Segneri Christ. Instr. Tom. I.

filiis, qui sacris expiati undis, antequam acceptam Gratiâ peccando possint amittere, mortui, aeternæ & ipsi vita ac gloriæ hæredes erunt, pretioso Iesu Christi Sanguine ac meritis comparatæ. Unum igitur hoc discutendum superest: An ex adultis, qui recto arbitrii sui usu salutem operari suam possunt, plures Cælo, an Inferno sint transcribendi, plures Electi, an Reprobi futuri?

I.

III. Si ex illorum genere Medicorum essem, qui quos curandos suscipere ægros, mortuos, quàm morore affectos videre malunt, jam nunc digitum ori imponerem: adeò nonnullis in decursu molesta erunt verba mea. Verùm quid tandem ex contumaci hoc silentio sperarem emolumentum? aliud certè nihil, quàm ut sociam Dæmoni operam jungerem, qui, Eusebii sententiâ, certiore ad Animarum perniciem viâ non grassatur, quàm si eos sui securas reddat. *Immittit securitatem, ut immitat perditionem.* Illud igitur meminisse vos velim, sanctos Doctores eâ causâ Ecclesiæ datos, ut viam ad Cælum nos doceant. S. Helena Constantinî Mater, ut ij, qui Constantinopoli Solymas peregrè ibant, à viâ non aberarent; certis per viam intervallis turres satis altas extrui curavit, in quarum culmine accensi nocturnis tenebris ignes, iter agentibus, quâ pergendum esset, monstrarent. Idem in Ecclesia sua Deus præstitit, per temporum intervalla grandes quasdam animas, turrium amulas, constituendo, quæ multa, quam

H

quam

quam in iis liberaliter accenderat, luce, ut ardentis faces, aut lampades, cælestæ ad Solymam contendentibus viam monstrarent. Hinc consequens est, ea quæ Doctores isti magno consensu tradunt, accipiendum esse ut veritatem ac doctrinam certissimam, quâ ducente pergatur in itinere tam periculoso, quàm est illud, quo ex uno mundo in alterum transitur. Jam verò concursus est Sanctorum istorum Patrum ac Doctorum sententia, plures è Christianis æternum perire, quàm salvi fiant: juxta hanc igitur eorum doctrinam iter nostrum instituendum est si prudenter in semita pergere, & nobis ipsis imponere non volumus.

IV. Ut à Patribus Græcis ducamus initium, hanc in sententiam plerique illorum ivere, id quod S. Nilus Abbas apud Baronium testatus est pro ea allegans præter S. Simeonem Stylitam, qui divinitus ea de re edoctus creditur, S. Theodorum, S. Basilium, S. Ephrem, S. Joannem Chrysostomum. Atque hic maximè hanc doctrinam tam constanter ut veritati consentaneam tenuit, ut non dubitaret superiore è loco, & sacro suggesto pronuntiare, ex tota refertissima inquilinis Civitate Constantinopoli, non credere se, centenos salvos fore. Et tamen tunc temporis, post Romam, Mundi Synopsin, non alia urbs plures quàm Constantinopolis, incolas numerabat. Quamquam autem tum Religiosi omnes non urbes & oppida, sed deserta ac solitudines incolerent, amplissimam tamen illam & Imperatoriâ urbe, à fide

alieni nulli, sed Christiani tantum cælebantur. Et tamen Pastor ejus Zelo ardens non suo in conclavi scribendo, sed palàm ad concionem tam frequentem declarando, protulit effectum tanto horrore plenum, quale est; ex multitudinc tam propè innumera vix centum non æternum damnandos.

Non possunt in tot millibus inveniri centum, qui salventur; quia & de his dubito, in aliis

*V. Græcis Patribus Latini adimplantur. S. Gregorius de solis Christianis loquens ita pronuntiat. Ad hominem plures veniunt, ad Regnum caelestem pauci perducuntur. En, multi ad fidem, pauci ad salutem. Nec aliter sensit S. Anselmus, minimè oblocutus ratur, paucos esse, qui salutem consequantur. *Pe videtur, pauci sunt, qui in Evangelio salvantur. Idem locis pluribus etiam S. cid, Augustinus tradidit: sed eo maximè, l. 3. quo Parabolam illam Christi Servatoris de paleis & tritico exponit: aream enim Ecclesiam esse ait; paleas, majorem Christianorum numerum, qui taliter excidunt: triticum, minorem eorum, qui calo potiuntur: atque hoc ipso denique velut epiphonemate disertationem claudit: *Pau: i ergo qui salvantur, in comparatione multorum perituros. Sanctus tandem Hieronymus, cum vivens suam de salvandorum paucitate sententiam explicasset, tandem ad extrema redactus, quo tempore verum ut melius cognoscitur, ita & libetius profertur, Discipulis suis affirmare non dubitavit: *Vix de centum millibus, quorum mala fuit semper vita, Esperet a Deo indulgentiam habere Dam.****

VI.

VI.

VI.

VI.

VI.

VI.

VI.

VI.

VI.

VI.

VI.

VI.

VI.

VI.

VI.

VI.

VI.

VI.

VI.

VI.

VI. Et ne quis suspitioni superstitiosus, ne forte Doctores isti hyperbolicè locuti sint, notandum illud imprimis, ejusmodi suspitionem omnino fore injustam: si enim pro Concione ea affirmassent, quæ ipsi non credebant, non tam amplificasse, quam mentiti esse censerent. Deinde ut hæc suspicio falsa, & nullo nexa esse fundamento cognoscatur, Patrum doctrinam multiplici Theologorum autoritate affirmabo; horum enim proprium est, verum ad amussim examinare, & omnem in sententia explicanda auxilium vitare,

Cajet. in parab. de magis, quam doctrinâ & pietate 10. Virg. in Deum eminentes, Cajetanus Bellarm. nimirum & Bellarminus tenent apertè eam sententiam, quæ majorem Reprob. Col. l. 1. c. 6. borum, quam Electorum multitudinem esse asseverat, Abulensis Episcopus, sui temporis Salomon dictus (tantâ erat & amplitudine & profunditate Sapientie) hanc de paucitate Electorum præ Reprobis ait esse positionem communem, & satis verisimilem. q. 69. id quod nec Suarezius diffidet, Eximii nomen inter Theologos promeratus: Communior sententia tenet ex Christianis plures esse Reprobos, quam Prædestinatos.

VII. Quamquam autem Autoritas eorum, quos adduximus, summi sit ponderis, non tamen est, nisi humani. Sumamus igitur in manus Recup. de Sanctuarii pondus, & illo nostræ assertionis veritatem libremus. Videamus, inquam, quid de illa Deus in Sacris Literis pronuntiet. Sacrarum

igitur Paginarum idiomate idem sonat Prædestinati quod pauci. *Domine à Maldon. paucis de terra divide illos. Et idem lo. in 22. nat. Reprobi, Quod multi. Inter multos erant mecum. Si autem lubet ad Esaj. figuras mentem reflectere, tempus Legis naturæ, & tempus Legis scriptæ 1. p. 9. tanquam præjudicia fuerunt, & umbra 23. art. Legis Gratiæ: unde lubet observare, 7. quâ ratione Deus nobis repræsentârit Ruix de in utraq. Lege hanc maximi momenti veritatem. Naturæ in Lege, omni diff. 54. mortalium genere undis ultricibus felt. 1. suffocato non nisi octo Animæ exitio A plaudis creptæ sunt, & Noëtica in arca ser. Chaldevata. Si autem S. Petro, id sua in us legio epistola affirmanti credimus, Arca ab Ele. Ecclesie symbolum fuit, in qua factis. sacri lavacri ope non multi servantur, quia pauci sunt illi, ut Sanctus Inter Augustinus asserit, qui re ipsa nunci. multos. um omnibus remittant, quæ, dum v. Aug. tingerentur, abjurârunt. Qui seculo gust. in. solis verbis, non factis renuntiant, non Ps. 54. pertinent ad hujus Arca mysterium, in quibus non est conscientia bona interrogatio. Altera, in lege scripta, legis Gratiæ figura, aut umbra fuit, illa Hebræorum ex Egypto emigratio: et si enim bis millena hominum millia Egypti ollas deseruerint, non nisi duo tamen tertiam promissam attigerunt. Hæc autem, ut Apostolus monet, in signa facta sunt nostri. Quem in locum S. Augustinus planè attôitit ista commentatur: Non transitorie, inquit, non negligenter, sed cum ingenti timore considerandum est. Hoc ergo, pergit idem S. Do. Serm. 102. de cordem volunt, ut justum esse non credant. Tempor.*

VIII. Sed non est necesse recurrere ad sensum allegoricum, ubi literalis tam aperte rem ob oculos ponit: Sanctus Paulus Prædestinatos cum iis comparat, qui olim in ludis, quibus cursus, lucta, pugna certabatur, coronam, victoriæ signum, reportabant: *Hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium.* Quibus verbis tria indicantur, ut S. Thomas obser-
in 1. Cor. vavir, In primo (verba sunt Angelici)
10, lect. 5, notatur conditio Viatorum; in secundo
multitudo vocatorum; in tertio paucitas
Electorum. Quamquam hanc momen-
 ti tam gravis sententiam non decebat ab alio proferri manifestius, quam à Christo Mundi Luce: *Ego sum lux Mundi.* In hujus autem divino ore ac lingua non aliud ferè effatum ver-
 sabatur frequentius, quam illud: *Mul-
 ti sunt vocati, pauci vero electi;* quod est
 epiphonema, quo ipse geminas plus quam caelestes suas parabolas clausit. Est autem effatum, Sancti Augustini sententiâ, non tam verbo-
 rum, quam tonitruorum; quæ tamen ipsa non satis sonora sunt ad somnum nobis & torporem excutiendum. Præterea idem Servator noster Matthæi
Matth.
7.14.
*septimo; lata est, inquit, porta, & spa-
 tiosa via, quæ ducit ad perditionem, &
 multi sunt, qui intrant per eam: Quam
 angusta porta, & arcta via est, quæ ducit
 ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt
 eam.* Non alibi tamen disertius hanc gravissimi ponderis doctrinam expli-
 cuit, quam apud S. Lucam, ubi cum ex eo quæ sitisset nonnemo, verène pauci salutem consequerentur, quid tandem putatis eum respondisse? an tacuit?

an hæsit dubius & nutans? an distulavit, ne quid terroris justo majoris alicui incurreret? aut saltem verbis ambiguis nõ tam explicavit, quam implicavit veritatem? Nihil horum: respondit verbi, disertissimis, non respondit tamè soli illi, qui interrogat; sed ad omnes, qui aderant, conversus (agebatur enim de negotio, quod non ad unum magis, quam ad alium quemlibet pertinebat) *Contendite, inquit, intrare per angustam*
portam, quia multi, dico vobis, quarent
intrare, & non poterunt: cum enim ad intrandum opus esset conatu magno, & voluntate firma, ipsi mediocri ali-
 quâ diligentia contenti erunt. Quis jam vester sensus est, qui fortassis me tacite reprehenditis, ut qui servitam ad Cælum nimium coarctem? quæ reci-
 tavi ex Sacra historia verba non alterius tandem sunt, quam Servatoris nostri Christi JESU, & sunt dicta ad Chri-
 stianos omnes ac singulos, ut satis ostē-
 dit & verborum contextus, & Interpre-
 tum consensus: unde non video, qui S. Aug.
 fieri possit, ut & verbis his fidem quis in Ps.
 adhibeat, & tamen totus non cohortetur
 39.

II.

IX. Enimvero pluribus non esset opus ad affirmanda, quæ statui. Ut tamen magis & plus quam satis sit, vos convincam, præter allatam jam Authoritatem, rationū etiam momenta adducā, nequā vobis exitus pateat. Qui fieri potest, sic vos arguitis, ut minor, etiam Christianorum, numerus æterna salute potiatur? an nõ tandè nostrā causā cælum conditum est? quomodo igitur tam pauci illud intrabunt? En rati-
 onem

onem ipsissimam. Duabus viis perveniri ad Cælum potest, Innocentiæ nimirum, & Pœnitentiæ. Quare si palmam vobis facio, paucos admodum Pœnitentiæ callem tenere, paucissimos Innocentiæ semitâ progredi, qui tandem negare potèrè poteritis, minorem rectè credentium numerum pervenire ad beatitudinem?

X. Initium ducamus ab Innocentiâ: Si de solis Adultis sermo est, quàm pauci denique sunt illi, qui candidam illam, quâ in Baptismo induci sunt, stolam nullius gravioris noxæ sordibus inquinârunt; nunquam Gratiâ, quâ tum donati sunt, exciderint? Id plerumque nobis accidit, quod cor vis, qui cum candidi nati sint, magis magisque indies nigrescunt, donec tandem evadant planè nigerrimi. Vix ad annos pervenitur, quibus bonum à malo discernitur, cum aut pravis aliorum exemplis, quæ usurpantur oculis, aut verbis, quibus ad flagitiû pelliçimur, aut internis Concupiscentiæ stimulis, quos sentimus, discimus confestim nequitiam; sic ut nò pauci cum illò sateri possent, non meminisse se illius temporis, quo puri à labe fuerint. Quare si rectè inibimus numerum, inveniemus, paucissimas esse Mustelas illas alpestres candore gratissimo, quæ diu non aspergantur cæno & sordibus huius vitæ. Ratio autem ejus rei est; quia ætas tenella in homine Veris instar est. Sol rum virium habet tantum, ut vapores è terra ad se trahat; sed tantas non habet, ut eos ablumat. Sic in adolescentulis, Ratio, quæ microcosmi Sol est, tantû cognitionis habet, ut mali cupiditate possit accendere; sed tantum

non habet, ut excitatum ignem possit compescere: sufficit inquam tenuis illa notitia ad peccatû concupiscendû, non sufficit ad illius horrorem excitandum.

XI. Quare si multos Cælo potiri asserimus, oportet asseramus, id eos Pœnitentiâ consequi, cum admissò semel peccato non alia sit eò pertingendi semitâ; ita enim disertè Servator Christus. *Luc. 13. Si pœnitentiâ non egeritis, omnes similiter peribitis.* Sed hæc quoque vera Pœnitentiâ tam rara est; ut Sanctus Ambrosius censuerit, illam non faciliùs inter homines inveniri, quàm ipsam Innocentiâ. *Faciliùs, inquit, inveni, qui de Pœn. l. innocentiâ servaverit, quàm qui congruè pœnitentiâ egerit.* Consideremus illam eâ ratione, quâ faciliùs exercetur, in Sacramento inquam, singillatim discutendo omnes tres partes, quibus constituitur; ut tanto manifestiùs veritas vobis innotescat. *Tria in unoquoque veraciter pœnitente consideranda* (ita S. Gregorius docet) *Confessio oris, Conversio mentis, & Vindicta peccati.*

XII. Dico autem in primis, plurimos Christiano è populo in prima Pœnitentiâ parte deficere, oris inquam Confessione; cum inter accusandum se varias omittant noxas, aut damnabilis pudoris malitiâ, aut animi latebras, quo par esset studio, perferutandi negligentia; Hominum genus, ut Sanctus Augustinus asserit, quod dum suas investigat culpas, invenire timeret; cum noverit ab inventis longè esse abeundum; *Timent In Ps. (verba S. Doctoris sancti) iniquitatem 35 in suam invenire, quia si inveniant, dicitur illud David, recedite ab ea.* Non id ago, ut animose egitis. Non id ago, ut animose egitis. Non id ago, ut animose egitis.

perurbem, sed tantum ut aliquid lucis affundam. Atque hanc cau. à isto loco illud solum culpam genus artingam, de cuius agnitione vulgò mortales penitus non augentur, cum angè vel maxime deberent. Sunt autem hæc ommissionis peccata, quæ in eo consistunt, quòd quis notabili negligentia non satisfaciatur officio Dei voluntate sibi imposto.

Pf. 90.
6.

XIII. Omnia inter delicta fortassis ne unum quidem est, quod magis timendum sit quam officium non facere, seu Ommissiones, Commissionis peccata, denuntiatus suaque noscendus fronte Inimicus sunt, & Dæmonium illud, quod Pfaltes regius Meridianum appellat. *A negotio perambulante in tenebris, ab incursa, & Dæmonio meridiano.* Observe sacrarum literarum loquendi rationem; Ommissiones appellant negotium; & negotium quidem in tenebris geri solitum, ut geminas, quæ illas comitantur, conditiones explicent. Prima harum conditionum est, quòd Ommissiones negotiatio Dæmonis sint, dum illarum operà plures lucratur Animas, quam alià quacunque ratione lucratur; imò quas aliis artibus suas facere non potest, ista occultà suas facit. Unde, ut rem exemplis declarem, si nequam hic Spiritus Sacerdotem videt virtutis, & salutis suæ studiosum, moribus integris, exempli pravitate nemini noxium, id agit, ut is spiret ad Ecclesiæ alicujus Parochialis administrationem: ut subinde partibus Pastoris boni non respondens, dum alienas servare vult animas, suam perdat: quæ ratione per ambages lucratur versutissimè Dæmon, quod rectè se obtenturum diffidebat. Altera Ommissionum proprietates est, quòd sint negotium altis

conzabit noctis tenebris gestis; parum nimirum cognitum homini, parum ab eo consideratum; propterea quòd non consistant in actione quapiam, ceteroquin debita, sed in mera talis actionis negatione, seu non positione. *Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum est illi. 2. q. 7.* Hinc fit, ut qui à Dæmone, hoc in genere in fraudem se induci sinit, malum non ante agnoscat, quam ejus emendandi tempus porro non sit: & hinc ipsi illi, qui cum annis blasphemandi, perpotandi, se viadicandi, aut fœdis libidinibus indulgendi assuetudinem corrigunt, Ommissiones tamen suas corrigunt nunquam, sed eas secum tumulo inferunt. Artis beneficio pulvis pyris ita confici potest, ut accensus in fustula noceat quidem, sed fragorem non edat. Avertat Deus, ne secreta hæc ars in vulgus emanet: quanto enim cum difficilius foret ab icetu sibi cavere cum ne aures quidè perciperent, unde perniciis imminet!

XIV. Hæc porro tam noxia Ommissionum peccata maxima Christiani populi parti communia sunt, & respiciunt neglecta Justitiæ & Caritatis officia. Si Justitiæ officia spectemus, quot sunt in Ecclesiâ Pastores Animarum, qui maiorem Animarum, à Christo sibi creditarum curam non habent, quam si ad ipsos penitus non pertinerent? Rudes & parvulos fidei elementa non docent; adultiores aut nunquam, aut raro admodum pro Concione adhortantur, atque instituunt; etsi crassissimè Mysteriorum fidei ignorantia laborent. Non Confessionis, non Evcharistiæ Sacramenta ministrant, nisi cum extrema id necessitas exigit. Quantus eorum est numerus, qui cum contentibus dent operam, eos tamen de erratis suis ferio non moneant; mediam contra relabent-

habendi pericula præscribunt nulla; eos quoque à noxis absolvere non veniunt, qui nec feræ pœnitentis, nec emendanda vitæ propoliti argumentum ullum edunt? Quot Judices, Advocati, Prætores, Tabularum publicarum Scribæ, Medici, Principum & Reipublicæ Administræ, qui muneris sui partibus defunt? Quot Parentes, qui liberorum educationem per pudendam ignaviam cordi non habent, de eo uno fortassis solliciti, quàm divites, sed non quàm virtutis & honestatis studiosos post se relinquunt? Verùm nimis proluxa evaderet Oratio, si sigillatim meminisse vellem omnium errorum, quibus potissimum suam Mundus perniciem & exitium debet. Transeo igitur ab officiis Justitiæ, ad officia Caritatis: circa quæ plurima etiam passim negliguntur: neque enim quisquam satis expresserit, quàm neminem ferè hodie inopu gravissimis cum calamitatibus luctantiu, miseratio subeat; cum tam multos invenire sit, qui pro eo quoddam his opè ferant stipem largiendo, eos omni genere violentarum extorsionum, injuriarum, vexationum, contemptu exacerbant: interim constat Christi testimonio, eadem nos mensurâ recepturos, quâ aliis fuerimus admenli. *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Hæc, & ejusdem fortis omissiones aliæ, & neglecti officii caritatis peccata, tã familiaria multis evaserunt, ut eorum sensu & religione jã nullã tangantur. Et quamquam multi excusate se possunt, quod ad illa, dum se accusant, animu non advertant; at certè de peccatis ipsis quis se vel ad speciem purgabit, eum tam disertè Servator noster professus sit, se de his rationem coram suo Tribunali exactissimã repetituru; haud aliter ac si delicta alia horu*

comparatione severã ad trutinam non sint examinanda? *Ita maledicti, & surri De Christ. Relig. enim, & non dedistis mihi manducare. Hoc fulmẽ torquetur in Reprobos. Venite benedicti, & surri enim, & dedistis mihi manducare. Hanc ex eo Electi sententiã audiunt: Hoc cum animo volveret sanctus Bernardinus Senensis, putavit affirmare se posse: Tres potissimum esse notatu dignas supremi illius Judicis sententias: primã, quàm sub Mundi exordium pronuntiavit contra superbiam, dũ omnes Angelos per duellos æternis addidit Inferorum suppliciis; alteram quàm post aliquot elapsa secula tulit contra luxuriam, quando omnium sordes cataclismi undis eluit: tertiã quæ in fine seculorũ fulminabitur contra Avaritiam; cum omnes illos damnabit, quicunq; miserorum inopiam portectã stipe nõ sublevaverunt: perinde ac si postremus ille dies non aliud sit discussus, quàm neglecta officia Caritatis; quæ quidem minus etiam, quàm neglecta Justitiæ officia vulgò à mortalibus advertuntur.*

XV. Nec tamen his solum in obeundo Pœnitentiæ Sacramento peccatur: magis plerumque in altera ejus parte dicitur, in *Cordis* in quã *conversione*. Plurimi ne sciunt quidem ad utiliter pœnitendum hac conversione opus esse, sed satis se fecisse existimant, si admissas noxas cum fide enarrent: hoc autem cum ita sit, quomodo se isti parabunt ad concipiendũ serium illum sincerumq; dolorem, quo potissimum *Conversione* ista constituitur? Accedit, quod sæpe dolor omnis cõceptus intra naturæ limites stat, *ex lesione naturæ*, ut S. Bonaventura asserit? concipiatur inquam non alia ex causa impellente, quã quia peccatum cũ rectæ rationis, quam solus homo habet propriã, normã pugnat, & sic naturã suã

certam tristitiam, certum cruciatum generat, ob quos necesse est peccatum, talium causam, displicere. Insuper in illis, qui longam peccandi assuetudine depravati sunt penitus, quam primum est, non aliud ipsis displicere, quam supplicium, quod vident imminere, non culpam, quam contraxerunt? Id quod Sanctus Fulgentius in Saulis confessione observavit, qui non abhorruit à noxa, quam admiserat; sed solum moerore torquebatur, ex jactura Regni, quam illi animus prelagiebat. *Non odit, quod fecerat, sed timuit, quod nolebat.* Et tamen re ipsa oportet non penam tantum, sed peccatum odisse; & odisse plus quam ullam aliud malum, decernendo, nunquam deinceps locum illi in animo dare. Auget difficultatem, quod cum peccato oporteat abhorre- re simul ab omnibus occasionibus, quæ proximè ad peccatum pertrahunt, juxta illud: *Omnem viam iniquitatis odio habui.* Non inquam solam odi iniquitatem, sed viam quoque, quæ ad iniquitatem itur: hæc autem quænam est alia, quam occasio? Hinc jam illud cogitate diligenter, quam parvo numero sint illi Christiani, qui hæc re ipsa exequantur; qui deserant sodales pravos, qui fugiant commoda & oblectamenta, quibus in peccati laqueos se implicuerunt: atque inde porrò colligite, quam ingens eorum sit multitudo, qui etsi saltem quorundam annis de noxis se accusent, sincero tamen corde non doleant, nec seriò convertantur.

XVI. Et quamquam tam multorum dolor, his ex capitibus deficiat,

duæ tamen aliæ causæ cogunt me de plurium adhuc Peccatorum penitenti- dine dubitare: Signa nimirum quæ sui accusationem præcedunt, & signa quæ illam consequuntur. Quæ consequuntur, palam faciunt, multos vix à noxis expiatis, mox redire ad inveterata vitia, quin ullum conatum, studium & sollicitudinem adhibeant ad illa emendanda. Sautius, qui vulnus neque alligat, neque unguento illinit, plus satis ostendit, vulnus illi non dolere. Simillima est plurimorum Christianorum conditio, quorum animi fœdis undique plagis sunt obfisi: *A planta pedis, usque ad verticem capitis, non est in eo sanitas.* Nec tamen iis per sanandis quidquam diligentia adhibetur. *Non est circumligata; nec curata medicamine, neque foras oleo.* Sanctus Paulus tanquam signum, quo verus dolor discerni possit, videtur requirere constantiam quandam, quæ in Penitentiâ subinde secuta perleveretur: *Tristitia, inquit, quæ secundum Deum est, penitentiam in salutem stabilem operatur:* & verò ratio ipsa videtur convincere, hæc sine stabilitate & constantiâ dolorem non esse genuinum. Vidua, quæ vix per solutis defuncto marito iustis nubit alteri, non censetur defuncti mortem sinceris lacrymis deplorasse. Sic & Anima, quæ vix deplorato peccato admissio induci se sinit, ut illud denuo admittat, quo tandem vero dolore illud detestata fuisse cense- ri potest?

XVII. Quod attinet ad signa, quæ antecedunt, illa longior mora, quæ

l. 2. de
Remin.
pecc. c. 3.

Ps. 118.

Is. c. 1.

non pauci in malo suo hærent, facit ut metuum, ne dolor suis numeris non sit absolutus: mora enim verè perniciosissima, ut qua non potest non edere ingentem in animo cladem & stragem. Omnis illa strages atque pernicietas, quæ humanam naturam noxa originaria afflixit, intelligendi facultatem excæcando, voluntatem fascinando, fœntum animi perturbationibus omnibus, obedire jam detrectantibus, permittendo, omnis inquam ista pernicietas à culpis actu admittis quotidie instauratur: hæc Siquidem eadem, proportione suâ, effecta in animâ producant, quæ illa, si rectè S. Thomas sensit. Cogitate proinde, quàm malo loco res eorum sint, qui vitam ferè omnem inter flagitia transegerunt: & tamen hos quoque converti necesse est! Nonnullis, ut dicebamus, idem est principium ratione utendi, & peccandi; & hi ferè, quo cæperunt passu, in flagitiorum semitâ ad mortem utque progrediuntur, nullâ, quæ se offerat, Numinis offendendi occasione prætermittâ, & quod opere exequi non possunt, deliberatâ saltem delectatione & desiderijs concupiscendo; lupum imitari, qui ubi ovile diligenter custoditum reperit, illud undique lustrando obit, & quam dentibus non potest, lupinâ illâ saltem rabie suâ prædam devorat. Peccatum igitur ejusmodi continuatum & repetitum toties, quàm tandem opinione nostrâ perniciem in animabus eorum, & singulis eorum facultatibus edet? quàm addensabit Intellectus tenebras, augebit perveritatem, voluntatis,

R. P. Segneri Christ. Instr. Tom. 1.

acuet concupiscentiæ vim, vulnus identidem vulnere addendo, sic ut Anima eorum, si sensum haberet aliquem peccatorum istorum continuorum, triste illud occinere posset: *Effudit in terrâ viscera mea, concidit me Job. 16. vulnere super vulnus, irruit in me quasi I. S. Gygis.* Sed misera hæc Anima, quo percutitur sæpius, hoc sentit minus, Et hinc parum abest, quin dici possit, actum esse de omnibus iis, qui præmaturè adeò flagitijs affluunt.

XVIII. Quæ maleficio suo mortali generi nocent sidera, etsi nunquam supra horizontem emergant, quin malignitatis aliquid diffundant, nunquam tamen nocent amplius, quàm cum mane oriuntur: cum enim tunc moram in hemisphærio nostro longiorem trahant, temporis etiam plus habent ad pestem terris subjectis adspirandum. Non aliter se res in peccatis habet; Quantumque modico tempore animum occupent, nunquam tamen non omnia commovent, atque pervertunt; tum autem nocentiùs & diutius prima, cum primis ab annis pestè diffundere in animum orsa, vix unquam, ne in senectute quidem, occidunt. Tum enim eò Peccatores noxæ istæ redigunt, ut finis sui ultimi plane immores agent, & quod consequens est, in mediis delectu erent semper, eâque causâ salutem nimis quàm difficulter consequantur. Et tamen hoc Peccatorum genus numero ferè alia superat.

XIX. Sine numero illi sunt, qui non intelligunt, conditos se eâ tantum causâ, ut Conditoris sui gloriam pro-

I cument:

curent: Sibi enim tantum se natos existimant: unde in rebus suis agendis Deum spectant nunquam, sed in id omnes animi corporisque facultates intendunt, ut humana hæc atque caduca congerant, opes, voluptates, honores, imperia, quin unquam animi oculos ad Deum attollant; porcorum more, qui ad quercus alicujus radicem sibi tantum patendis intenti, quidquid possunt aliis è suo grege glandium præcipiunt, nec tamen unquam sordidum rostrum humo attollunt, ut oculos in pastorem conspiciant, qui providam curam è summis arboris ramis cupidam escam excutit.

XX. Nec minore numero illi sunt, qui tenui aliquâ finis notitiâ imbuti, in mediocrum tamen delectu errant gravissimè, dum sibi, non alium denique Deo cariorem, majoribusque ab eo bonis cumulatam esse persuadent, quam qui plus infelici hac ex terra glebâ congestum habet. *Beatum dixerunt Populum, cui hæc sunt:* ac proinde rerum æternarum planè incurii, solaque hæc caduca aliquid esse rati, *venite, inquit, Venite fruamur bonis qua sunt, quoniam hæc est pars nostras, & hæc est fors:* atque ita sentite ac loqui docti, merentur referri eorum in catalogum, quos S. Litteræ dicant omnem numerum excedere. *Stultorum inventus est numerus.* Ite nunc, & persuadeate hujus farinae hominibus, Peccatum esse malum malorum omnium maximum, eaque causâ, ut quis de eo admisso doleat sicut oportet, necessarium esse, ut quis ab eo magis, quam ab alio quocumque possibili malo ab-

horreat. Horum ipsi nihil assequuntur: notitia rerum, quam habent, tam est tenuis & obscura, voluntas tam dura, ut nullius planè jacturæ sentiu afficiantur, nisi qua est boni cujusdam caduci & materiari: Crocodilo non absimiles, cujus dorsum, quod Cælum spectat, eâ est duritie, ut nullo sit telo penetrabile: venter autem, quo terram respicit, cute obtegitur tam subtili, ut tenuissima acûs cuspidè perforari possit.

XXI. Hi, cum de noxis se suis accusant, labes quidem suas vident, sed non aliter, quam is, qui in speculo eas contemplatur; non vident autem eas. Sicut qui in fonte vident, qui vidisse non contenti, eas etiam abluunt. Unde hi, post narrata Sacerdoti peccata, alii à se ipsis non evadunt, & quò eorum scelera multiplicantur amplius, hòc lethale animorum frigus in ipsis intenditur vehementius, ut vis evenit, qui humili solo degunt; quo enim auræ eorum locorum est crassior, eò hiems ibidem est favior. Ex hoc autem prudens quisque facile colliget, quam arduum sit ejusce fortis hominibus, cum peccata confessione expianda sunt, dolere dolore, qui supra naturam se attollat: idque tanto amplius, quòd hunc ad dolorem penitus se non præparent, non animum applicent ad perpendendas rationes, ex quibus dolendum est, non libros evolvant, qui hac de re agunt, sacros Oratores non audiant, eos fugiant, qui de similibus disserunt, quin ne animi quidem arbitros præ cæteris idoneos deligant, sed studiosè in eos inquirent, quos ni-

Pf. 143.
15.

Sap. 2.
6.

Ecl. 1.
17.

Arist.
probl.
25. q. 6.

nia

Lib. de ver. & fals. Panit. cap. 11.

Lib. de ver. & fals. Panit. cap. 11.

Lib. de ver. & fals. Panit. cap. 11.

XXII. Nec illi exiguo sunt numero, quorum Pœnitentiæ pars deest ultima, quæ est satisfactio: Confessio oris, Conversio mentis, & Vindicta peccati: deest autem tam quæ Deo offenso, quam quæ proximo læsæ debetur. Et ad Deum quidem offensum quod spectat, quæ tandem ratione illi satisfacit magna populi Christiani pars, quæ cum rationem habeat nullam oneris gravissimi, tor nozarum, quod animo circumfert, onus dein iusto gravius sibi impositum queritur, cum parvula preces ad debitum expungendum imperantur? Hoccine sit facere lætis injuriæ Deo illatæ; Facile fructus dignos pœnitentiæ. Hoc est medium illud commune omnibus, quod divina ita evitari possit; quos autem fructus major Pœnitentiæ pars affert? Tantum abest, ut fructus pœnitentiæ dignos, respondentem in quâ delictis admissis, facere dici possit, ut ne illos quidem ferat: & vos tamen contentis, nullo negotio salutem hos suam consecuturos?

XXIII. Nec sibi quisquam persuadeat, in hac dubitandi ratione plus extimæ speciei, quam soliditatis inesse,

Omnino enim tenendum est, exigere à Pœnitentibus Deum, ut prava sua opera, quorum se reos agunt, bonis compentent. Permissio siquidem peccati in Prædestinatis ad gloriam, effectus quodammodo Prædestinationis est, à Deo in bonum ipsorum Prædestinatorum relata. *Diligentibus Deum Rom. 8. omnia cooperantur in bonum: ipsa nimirum etiam peccata, ut Glossa in eum locum observat. Quare si peccati permissionem Deus refert in bonum ipsorummet Pœnitentium, id profectò spectare solùm non potest, ne porro peccent, sed ut meliores reddantur, omnemque suam vitam operibus magis arduis, magisque sanctis ac perfectis exornent: id enim si ita non esset, quis non videret, satius futurum ipsis, si nunquam ullum in peccatum labi sinerentur, quàm si tantum in alia peccata non recidant, si non alius futurus esset permissæ noxæ fructus, quàm prioris, emendatio? Hæc autem si ita se habent, illi etiam, qui ferri de admissis dolent, si curæ ipsis non est, ut magis ipsi inde proficiant, non solum id agendo, ut admissas læbes eluant, sed ut earum loco præstantioribus se ornamentis excolant, demissionis profundioris, majoris gratitudinis, studii virtutum ardentioris, & operum rectorum illustriorum, profectò illi nondum ostendunt insignitos se tam nobili Electorum caractere ac signo; cum non eum, quem Deus ex pœnitentiâ quarit, ad majus ipsorum & pœnitentium emolumentum, fructum referant: hinc porro colligite, si in numerum veterum*

Pœnitentium referri non merentur, quorum vita virtutibus post peccatum majoribus non exornatur, an eam ad classem spectent, qui vitam ne mutant quidem?

XXIV. Atque hic velut in transitu, quamquam ad rem nostram, animo perpendite, quanto spes eorum magis vana sit, qui cum in flagitiis vitam exegerint, ope tamen solius confessionis extremo illo tempore peracta non malam se mortem obituros confidunt? Quomodo tandem verisimile est, cum tum tempus potè non suppetat, scelera sua tanto numero admitta, sanctissimis operibus mutandi, ad Electorum felicem chorum ejusmodi homines pertinere? Necesse tum foret, ut salute illi non excidant, aut Deum Gratiæ suæ prodigium operari, aliquam nobilem admodum præter ordinem legemque conferendo, aut ut ipsi cum gratiâ operando plus longè, quam vulgo soleat, contentur. Hoc autem perinde ac illud, quam nullo jure plerumque futurum creditur? Longius hi tales à Beatitudinis absunt semita, quam unus Mundi Polus distet ab altero. Quomodo igitur repente tam illi se vicinòs invenient, ope voluntatis promptissima ad efficiendam omnè illud bonum, quod quisquam unquam Pœnitens sumè de perpetratis facinoribus dolens effecerit? Semper opera, quæ frigidâ à causa proficiscuntur, lenta ac pigra sunt: quo igitur jure promittet quis sibi à corde glacie restricto operationem tam celerem, tam sciam, promptamque? Parte autem alterâ, verò haudquaquam simile est,

Deum roties totiesque præter legem & ordinem præfixum operari velle, maxime eorum causâ, qui pœnis tantum ac suppliciiis digni sunt; ut qui semper Divinæ se pietatis Bonitatisque consiliis opposuerint. Quos morbi, longinqui admodum, lecto affigunt, hieme ferè moriuntur: nec alia eorum fors est, qui malè semper vivunt, hieme moriuntur frigidâ, omnis Caritatis experte: *Quorum finis erit secundum opera ipsorum*: ut Apostolus loquitur. Mors eorum vitæ erit simillima, frigida nimirum in illâ, ut in hac, omnia; nimirum ut effectum causa sibi similem producit.

XXV. Quare si & Innocentia, omnis labis ac sceleris experta tantarum, si Pœnitentia etiam genuina tam non est frequens, necesse idcirco erit (ut ad id, quod præcipuè nobis propositum est, redeamus) necesse inquam erit, nos etiam ratione convictos fateri, pauciores è Christianis adultis caelo potiri, plures æternum petire. Quis prudens miretur, ait os aureum? Quo jure vultis, plures Cæli arcibus recipi, si viam ad illud non nisi pauci admodum tenent? *Non potest quis pervenire ad portam, nisi ambulaverit in viâ.* Enimverò qui videt Christianos vulgò tam rerum divinarum rudes, tam negotiorum salutis periculosos, addictos rationi vivendi tam difformi illi, quam Christus Servator tenuit, effata ubique sectari damnata ab Evangelio, Cruci, & Cruci affici Dei doctrine repugnantia, voluptatum tantum, gloriæ, honorum, opum, studiosos, ita semper affectos, ut appetitum

præ-

preferant Rationi, ea, ad quæ propendunt, iis, quæ recta sunt; ea, quæ volunt ipsi, his, quæ Deus jubet, qui, inquam, hæc videt omnia, is perfectò quæ affirmavimus, haudquaquam miratur: illi tantùm mirantur, qui sic omnia se habere volunt, ut ipsi sibi illa pro arbitrio fingunt, nihilque non agunt, ut sibi ipsis imponant, ut sic vivere possint, ut volunt. Lepidi quidam ingenii vir, ut eluderet Astrologorum prognostica, sinistram admodum fortunam è siderum combinatione ipsi vaticinantium, Cæli sibi simulacrum è gypto in cubili suo fieri curavit; in eo sidera suo ipse movebat arbitrio, sic illa sibi jungens, opponensque, aliterque disponens, ut non nisi benignis illis aspectibus frueretur, quos Astrologi fortunatissimos prædicant. Detur huic venia, imò laudetur etiam, quòd eâ ratione forsitan insultare iis voluerit, quos non pudet diu ante illa præfagire, quæ uni Deo nota sunt. Sed quam illi veniam mereantur, qui nullâ Sacrarum Litterarum peritiâ, nullâ rerum beatam & immortalem ad vitam pertinentium notitiâ, à Sanctis Doctoribus, quin & ab ipsâ aternâ veritate admoniti de periculo, in quo versantur, salutis aternæ amittendæ, tale profus sibi Cælum fingunt, quale illud esse operent: Somniant ineras siderum combinationes sibi faventes, persuadentque sibi, omnia & sidera, & siderum orbis nihil non in se faustitatis esse depluituros, perinde omnino ac si etiamnum beato illo. Innocentiæ in statu vitam degerent? An non hoc est

vim sibi facere, ne sapiat? Et tamen hæcenus illorum non meminimus, qui nec ipsi numero pauci sunt, quos, cum inter flagitia omnis generis vitam exegerint, tam non pœnitere admittorum, ut ne pœnitere quidem possit non provisus obrutos casibus apoplexiæ, necis ferro, igni, veneno, fulmine, repentino terræ motu aut hiatu, lapsu ex alto, & variis aliis modis, hoc magis formidandis, quo minùs expectatis, illata. Hi illis juncti, qui sine feriâ pœnitiâ vel in delicatissimis plumis moriuntur, quisquamne satis explicet, quantum augeant numerum ad aternas rogas destinatorum, etiam inter Christi assclas, super numerum eorum, qui ex iisdem aternam ad vitam sunt electi?

XXVI. Caveant proin omnes, ne quis mihi unquam, AA. Dilectissimi, cantilenam illam, tam cateroquin Pccatoribus familiarem occinat: *Miserationes Dei multa sunt. Non est equum sanguinem à Christo nullo effectu sparsum esse: Deus non condidit Christianos, nec ad hanc eos fidem vocavit, ut aternum eos abijceret.* Verissima siquidem ista sunt, sed à miseris his ad sua commoda pessimè detorta. Ne Mahometanos quidem Deus condidit, ut damnaret; damnantur tamen. Nec dispar erit sceleratorum Christianorum conditio. Vivunt ut homines nullâ Dei notitiâ præditi; ut tales proinde etiam habebuntur. *Discedite a me omnes operarii iniquitatis. Qui statuas è ligno sculpunt, non eâ causâ arbores in silvis cedunt, ut igni eas pabulum obiciant. Siquis tamen truncus artificii*

manui resistit contumaciter, in rogam denique abiicitur; non jam ligni naturam suam nil tale meriti odio, sed intractabilium illorum nodorum, quos in illo repertos artifex nequit emendare. Sic nec illa supremi Dei artificis & conditoris Bonitas quemquam e nihili abyssu educit, ut infernalis rogitationem faciat. Nulla tamen non die, propè innumerabiles, tales fiunt, non jam Bonitatis Divinam culpam, paratam ad eos aeternum felices reddendos, sed culpam non expugnabilis illius obstinationis, quae suavissimis Dei consiliis & finibus sese pertinaciter opponunt, & renuunt uti mediis ad salutem conducantibus; vitam inquam ad normam legum divinarum exigendam, & noxis, ubi admittae fuerint, serio delendis: *Perditio tua ex te Israel.*

XXVII. Sic nec Divinum Sanguinem par est frustra sparsum esse. Ita sane, sed illud nosse oportet, precipuum, quem cruciatibus, & morte sua Servator noster Jesus spectavit, sinem hunc demum fuisse, ut satis fieret pro offensa, quam homo Justitiam divinam laeserat; ne videlicet in Mundo existeret grande illud monstrum, & rerum ingens perturbatio, ut Deus quidem injuriis innumeris irritaretur, nemo autem esset, qui noxis his ad aequalitatem satisfaceret. Hic porro princeps Mortis Dei hominis finis, reparandi honorem Dei à perfidis suis & rebellibus conculcatum, abunde jam à Servatore obtentus est: unde etiam nemo unus vitam beatam habere fieret, non frustra, sed maximo fructu divinus sparsus esset. Præterea etiam

maior Christianorum adulatorum numerus aeternum periret, non contemnendus tamen ille numerus parvulorum, statim à sacris undis morientium, illi non parvo numero Animarum bonarum additus, quæ vel Innocentiae stolam ab omni fabe puram conservarunt, vel sordibus aliquando conspersam diligentissime & opportunè abluerunt, turbam conflabant tam magnam, tamque numerosam, ut S. Joannes, cum eam videre contigisset etiam innumerabilem pronuntiavit. *Vidi turbam magnam, quam Apud dinumerare nemo poterat.* Atque adeo non propterea Cælum inquilinis carebit, quod tam multi in orbem detrudantur, sed potius erit Regnum habitatoribus refertissimum, & si miser ille damnatorum grex maris arenando numero æquabit, Beati è diverso non pauciores erunt quam Cæli Sidera, utriusque nimirum vix cuiquam numerabiles, etsi proportionem inter se diversissimam.

XXVIII. Tandem & Dei miserationes nullis limitibus arctabuntur; sed erga eos non se exerent, qui injurias Dei injuriis addunt, quin unquam serio respiciant, sed erga *Pf. 101* mentes Deum. *Misericordia Domini super timentes eum*, quæ sunt facti Vatis verba: Deinde etiam nemo non Miserationum Dei particeps sit, juxta *Ps. 138* illud, *Misericordia Dei super omnia opera eius*: non tamen eadem cuncti mensuram illis participant. Tribus modis etiam Peccatorum misereri Deus potest: Potest illos expectare; potest vocare, & potest adferam *16. 17. 2.* & ef-

& efficacem pœnitentiam. Prioribus duobus modis cunctis ferè Peccatoribus misericordem se Deus ostendit, eum & expectentur, & non semel tantum vocentur: Si tertium miserationum genus cunctis non exhibetur, id inde fit, quòd prioribus duobus ingrati abutantur. Oliva post siccitas, quibus Mundum Deus totum merse- rat, undas non columbæ tantum, sed & corvo vivere ceperat: Sed corvus cadaveribus assuetus ramorum ejus rationem nullam habuit. Accedit & illud, quòd Deus dum condemnat impios, vel tum miserationis suæ non obliviscatur, dum omnes ac singulos punit infra condignum, pœnâ nunquam culpam ex omni parte adæquante, acerbitate saltem, eum temporis mora brevior æternitate esse non possit: Sic nullo divinarum miserationum in omne mortalium genus beneficium detrimento stat stabitque, maiorem esse pereuntium ad- uctorum Christianorum numerum, quàm in Cælo triumphantium.

XXIX. Non aliud proinde à veritatis hujus agnitione nos impedit, quàm velum illud, quo oculos mentis nostræ nostrimer amor obnubit, dum nos nostri æstimatione implet, facitque ne pro dignitate æstimare possimus & Deum, & injurias peccando ipsi allatas. Eaque ipsa causâ, etsi cunctas inter Dei perfectiones & attributa nulla se effectis tam manifestè prædat, nulla tamen omnium minus cognoscitur. *Pater jussit, Mundus*

Io. 17. 2. te non cognovit. Non dixit Christus; Pater Omnipotens, Pater Optime, Pa-

ter misericors, sed *Pater jussit*, ut par- lam faceret, non aliud esse Patris æterni attributum, quòd minus mortales cognoscant, quàm illius Justitiam: vellent enim homines vulgo *Plin. l. 2. c.* nescire, quod vellent non experiri. De Elephante narrant, quando semitâ illi angustâ transeundam est, obverso discrimini tergo retrogre- dum illam emetiri, ne præsentis periculi metu consterneretur. Sic & Peccatores gressum promovent. Id agant, ne obversentur animo periculis, inter quæ perpetuè degunt, ne observatâ metum incutiant.

XXX. Cæteràm suaderi id utique debet, ut Peccatores miserationes Di- vinas, animo objiciant; sed non aliâ ratione, quàm quâ parturientes Ærite lapide utuntur, qui partum promo- vet; sed certâ tantum moderatione applicitus, nam si mora in retinendo sit longior, abortire facit. Anima illa, plus æquo trepida, quæ etsi à peccatis quanto possunt studio abhor- reant, nunquam tamen timoris de sa- lute amittendâ expertes vivunt, illa- inquam miserationem divinarum me- minerint, ut harum consideratione adjuncta opera salutaria pariant. Illæ autem protæva & impudentes, quæ peccata peccatis cumulant, Divinæ maxime Justitiæ memores esse debent, illudque crebrò animo volvere, non aliud demum collecturos in messe ho- mines, quàm quod seminârunt: *Qui seminaverit homo, hæc & metet*: non verò nitantur vanissimâ illâ spe, quæ re ipsa non spes, sed Prævidentia est, atque Præsumptio, dum vult ut Solus Deus

Deus

Deus totam salutem operetur, non autem ut nobiscum tantum operantibus operetur. At hoc denique nobis incumbit, non sinere, ut solus omnia Deus faciat, sed nostram jungere operam cum *auxilio opportuno*, illudque in animum alte demittere, ne secundissimos quidem à puppi ventos sufficere ad nayim optatum in portum provehendam, si Naucerus vela pandere, & anchoras tollere contumaciè abnuat.

XXXI. Claudamus igitur Dissertationem Apostoli verbis, & cunctis illa dicta arbitremur: *Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam aeternam.* Vita hæc præsens pugna, illa futura triumphus tempus est. Nunc bellum nobis cum cupiditatibus & pravis propensionibus nostris gerendum, eundem semitâ arctâ legum divinarum, nec cadendum animo, si cadere semel & cladem accipere contigerit. *Certa bonum certamen*: retinamus arma; obvertamus appetitibus nostris vultum & cuspidem, restitueamus pugnam. Meminerimus ut rem paucis, negotium salutis nostræ levi brachio non geri, negotium esse arduum admodum & plenum discriminis, quod naturâ suâ animos & conatum generosum exigat: *apprehende vitam aeternam.* Si illa recedere à nobis videtur, insistamus abeuntis vestigiis,prehendamus, stringamus, & nihil non agamus, ut nobis illam vindicemus. Non tam de modico aut nihilo res est, dum sempiternâ de vi-

tâ agitur, ut animis cadere non deceat propter difficultates, quæ occurrunt, dum vestigiis ojas insistimus: neque tantilla de rei jacturâ agitur, ut incertissimo *Fortassis* exponi à nobis debeat. De animâ agitur immortalis, quam necesse est vivere aut æternum felicem, aut æternum miseram, felicitate omnino bonum, aut miseriâ omnem miseriam complexâ. *Apprehende vitam aeternam.* Pauci sumus, an multi, qui æternum Beati erimus, quid perdimus, si quàm securissimi esse studeamus? si lata est ad Cælum via, rectè, & ex virtute vivendo salutem magno promeritorum cumulo graves consequentur: Si arctâ, rectè vivendo salutem cum paucis potiemur, illud secuti consilium, quod Sanctus Joannes Chrysostomus suggessit: *Vive cum paucis, si vis regnare cum paucis.* Non propterea, quod pontem quis sibi fingat minus latum, quem in itinere superare oportet, periculo se exponet in subterlabentem decidendi: expositus tamen est discrimini, qui latiore sibi imaginatur, quàm re ipsâ sit. *Reprehensio nequissima multos perdidit.* Superba hæc & audax Præsentia pro! quos quantosque perdidit! Securitas enim ejusmodi, mater est negligentia, si rectè S. Thomas sensit, cum æstimationem minuat difficultatis, quæ superanda est. *Apprehende vitam aeternam.* *Apprehendere, & non prehendere tantum jubet, cum absque labore & nisu magno non possit obtineri.*